(6)

# LEO PP. XIII.

Dilecte fili Salutem et Apticam Bnem. Salvator Noster Jesus Christus post acerbissimam suam Passionem et gloriosam Resurrectionem, discipulis suis, quos cum dilexisset in finem dilexit eos elevatis manibus benedixit, exemploque suo docuit quid eos quos in gubernanda Catholica Ecclia Vicarios suos in terris relinquebat, in Dno facere oporteret. Quare ex veteri more et venerando Apticae Sedis instituto Romani Pontifices Praedecessores Nostri sacratissimis quibusdam diebus adstanti Xtiano populo post Sacra Missarum Solemnia Bnem impertiri, et coelestes Ecclae thesauros, plenaria omnium peccatorum indulgentia concessa super eos aperire consueverunt. Sed quoniam fieri non potest, ut omnes qui ubique terrarum sunt fideles, statis illis diebus Romae se praesentes sistant plurimi autem Apticae Bnis participes fieri flagrantissime desiderant, Nos quibus licet immerentibus universas oves suas Jesus Xtus in Petro pascendas commisit, ne piorum desideria frustrata remaneant, paterna caritate qua Xtianos omnes complectimur super hac re providere ac Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepis et Epis, nec non dilectis filiis Praelatis inferioribus Pontificalium usum territoriumque separatum cum vera qualitate nullius habentibus, Apticae Bnis impertiendae munus cuique eorum postulanti concedere decrevimus. Cum itaque sicut accepimus, tu qui in Epum Ecclae Brigantien electus existis Apticam Bnem hujusmodi cum plenaria indulgentia Xtifidelibus istius Civitatis et Dioecesis Brigantien id maxime exoptantibus impertiri posse plurimum cupias, hinc est quod Nos in hac sublimi Principis Aptorum Cathedra, meritis licet imparibus, constituti, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nrorum vestigiis insistentes ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam intenti, piis tuis tuique populi desideriis ac votis quantum cum Dno possumus satisfacere volentes tibi postquam munus consecrationis susceperis, et donec regimini dictae Ecclae praefueris in duabus cuiusque anni solemnitatibus videlicet die Paschatis, qua festivitate nulla est excellentior, per quam in Ecclia Dei universarum solemnitatum dignitas consecratur, et alio die festo arbitrio et voluntate tua eligendo facultatem solemniter benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum indulgentia Nro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate post Sacra Missarum Solemnia juxta ritum et formulam, quam tibi tradi mandamus tenore ptium Aptica Aucte praefata, concedimus tribuimus, elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI Julii MDCCCLXXXV Pontificatus Nostri Anno Octavo.

M. Card. Ledochowski

Concordat cum originali quod asservatur in tabulario Secretariae Brevium
E Secretaria Brevium die 21 Aprilis 1907

Petrus [illegible]
Tabulario Praefectus

Ita est
Nicolaus Marini
Sub. a Brevibus

SECRETARIA BREVIUM

Capanna

Dilecto filio Josepho Alves de Mariz
in Epum Ecclesiae Brigantien. electo.

5 – Breve de Leão XIII, de 31 de julho de 1885, para dar a benção papal duas vezes no anno, sendo uma no dia de Pascoa; este breve é valido durante o episcopado em Bragança.

6 – Breve de Leão XIII, de 31 de julho de 1885, para dar a benção apostolica aos fieis em artigo de morte, quer confessados e communngados, quer contritos; este poder pode ser delegado. Breve valido durante o Episcopado em Bragança;